

accedentiis suis, ortis edificiis pratis pascuis terris cultis et incultis viis et inviis aquis aquarum[ve]¹ decursibus exitibus et (f. 131') redivitibus et generaliter² cum omni iure et utilitate in ius perpetuum et proprietatem contulimus usibus ibidem deo servientium profuturam. Verum [quia] quidem Gotfridus plebanus de Viszig laudabilem intentionem³ in emptione⁴ eiusdem ville de sua pecunia⁵ monstravit, nos ipsum in possessionem sepe dicte ville mitti precepimus, ut antedicta ecclesia⁶ beati Ottonis eiusdem ville domino remanente dictus Gotfridus ipsius ville, quoad vixerit⁷, gaudeat possessione⁸, post cuius decessum eiusdem ville ususfructus ad nepotes ipsius, Siffridum canonicum Misnensem⁹ et Gotfridum filium ipsius sororis, si fuerint superstites, devolvetur, quem ipsi pro equa recipient portione et alter post decessum alterius integraliter possidebit¹⁰ et sic demum ipsa villa ad ecclesiam beati Ottonis cum omni utilitate¹¹ sua [deveniat]. Ut autem predicta commoda [que superius] distincta sunt, inconvulsa permaneant, presentem paginam inde conscriptam sigilli nostri impressione fecimus autenticam. Huius donationis et traditionis testes sunt . . . et alii quam plures. Datum etc.

Welches der zahlreichen sächsischen Weissig in der Urkunde gemeint sei, weiss ich nicht zu entscheiden.

4. Karl IV. dehnt das zum Schutz der Geistlichen in Niedersachsen verliehene (und hier transsumierte) Privileg von 1359, October 13, auf Bitte des Erzbischofs Sigfrid von Riga auf dessen Kirchenprovinz aus (f. 142). 1372 November 28 — Pirna.

In nomine sancte et individue trinitatis, feliciter amen. Karolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Bohemie rex. Ad perpetuam rei memoriam.

Et¹² si maiestatis caesaree generosa sublimitas generalem universorum fidelium, quos imperii sacri latitudo complectitur, utilitatem¹³ et salutis benignitatem¹⁴ innata virtute dignatur intendere ac eorum indempnitatibus salubriter providere, specialiter tamen ad ea sollicitudinis nostre cura dirigitur, per que ecclesiis et ecclesiasticis personis oportuna libertas conceditur et eorum felix status et grata commoditas perpensius procuratur. Sane pro parte venerabilis Sifridi archiepiscopi Rigensis principis et devoti nostri dilecti nostre celsitudini fuit humiliter supplicatum, quatenus legem seu constitutionem alias

1) cod.: 'aquarum aquis'. 2) cod.: 'generales'. 3) cod.: 'laudabili intentione'. 4) cod.: 'emptionem'. 5) cod.: 'de suo pecuniam'. 6) cod.: 'apud ecclesiam'. 7) cod.: 'vixerat'. 8) cod.: 'possessionem'. 9) cod.: 'Misenensem'. 10) cod.: 'possidebis'. 11) cod.: 'valitati'. 12) cod.: 'si'. 13) cod.: 'utilitatis'. 14) cod.: 'benignitate'.